

non fiat, priori præfertur, si prius rescriptum præsentatum non fuerit ex malitia vel negligentia intra annum ab habita iudicum copia.

23. De prælatione rescriptorum gratiæ eadem ferme repetenda sunt. Quod si nempe privilegium seu gratia sit generalis, secunda specialis, tunc specialis prævalet, licet prioris facta mentio non fuerit ex Reg. Jur. 14. in 6<sup>o</sup>. 'generi per speciem derogatur'. Hinc in c. 38. de Præb. in 6<sup>o</sup>. cum quidam facultatem consecutus fuisset sex præbendas conferendi in quadam Ecclesia, ac alius inde habuerit facultatem conferendi peculiarem præbendam, collatio hujus sustinetur contra privilegium prioris. Speciale enim limitat generale. Idem dicendum si viceversa prius sit speciale aliud generale. Scilicet generale non derogat speciali, nisi expresse de speciali locutus fuerit Pontifex. Si privilegium utrumque generale; prius prævalet posteriori nisi in secundo fiat mentio prioris.

24. Si vero gratiæ sunt ambæ speciales, nec simul componi possunt, prior prævalet, nisi in secundo mentio de priori fiat c. 12. de Off. et pot. Jud. Deleg. et c. 19. de Præscript. Et valet principium 'Prior in tempore, potior in Jure'. Quare ad tempus datæ respicitur. Exceptio autem datur ob clausulam 'anteferri'. Cum enim hæc clausula ponatur in rescripto, hoc rescriptum prævalet priori licet de eo nullam faciat mentionem. Quia per eam clausulam censetur revocari quælibet gratia, quæ in prioribus rescriptis collata est. capp. 15. et 40. de Præb. in 6<sup>o</sup>. nec non c. 6. de concess. Præb. in 6.

25. Quæritur ab auctoribus utrum rescripta justitiæ quæ nulla sunt, suo valore careant per se ipsa, aut nulla fiant ope exceptionis adversæ partis. Sententia quæ secundum membrum affirmat tenenda est, ita scilicet ut nisi ab adversa parte exceptio fiat, iudex delegatus valide procedat in causæ cognitione. Probatur ex capp. 9. et 23. h. t. Casus est de secundo rescripto quod obtinetur contra prius quin de priori mentio fiat. Quare sermo est de rescripto secundo nullo. Porro nullitas hujus secundi rescripti potuit provenire etiam ex subreptione dolosa. Nam Pontifex non insinuat secundum rescriptum obtentum fuisse ex simplicitate vel ignorantia, sed proponit generice casum de rescripto quod nullius roboris redditur eo quod contrarium sit priori alteri rescripto. Jam vero hoc secundum rescriptum valet nisi adversarius probet se obtinuisse prius rescriptum, et hoc executioni mandatum

non fuisse eo quod copia Judicum haberi non potuit, vel eo quod legitime impeditus fuerit quominus id faceret. Id est secundum rescriptum quod juxta regulas generales nullum est, tamen valet donec validis exceptionibus adversæ partis elidatur. Ergo rescriptum justitiæ robur obtinet et non nisi exceptione eliditur.

26. At non ita dicendum de rescriptis gratiæ, ea enim si obreptitia sunt, vel subreptitia, nulla sunt ex seipsis idest ipso jure nihil valent. Hinc quidquid occasione et prætextu horum rescriptorum gestum est, nullius est valoris perinde ac si gestum non fuisset. Hæc conclusio constat ex c. 19. h. t. et ex 12. de sent. et re jud. Hoc in sensu Glossa in c. 20. h. t. explicat verba illa Pontificis 'mendax precator carere debet impetratis'.

27. Ratio disparitatis ex eo derivat quod rescripta justitiæ cum ab una parte obtinentur, alteri proprie non præjudicant. Nam cum quæstio hæc illa præcise rescripta justitiæ respiciat, in quibus designantur iudices; pars adversa poterit coram ipsis suas rationes proponere et proprium jus tueri. Insuper si hæc eadem pars nihil excipiat contra iudices delegatos, eosque acceptet; facto suo manifestat animum suum renunciandi juri suo exceptionis proponendæ, et confirmat virtutem rescripti: Hinc merito in commodum partis adversæ statutum est, rescripta justitiæ vires suas non exerere ante præsentationem. At rescripta gratiæ rite facta continent negotium completum ex parte Principis qui favorem exhibet oratori. Hinc vel statim valet rescriptum, vel statim nullum est. Insuper in rescriptis gratiæ deest regulariter adversa pars quæ excipere potest. Ergo rescripta gratiæ si vitio substantiali laborent, nulla sunt per se; secus enim per exceptionem fieri nulla regulariter non possent.

28. De executione rescriptorum. — Quæritur 1<sup>o</sup>. quinam sint executores rescriptorum. In c. 11. h. t. in 6<sup>o</sup>. designantur personæ quibus committi potest executio rescripti justitiæ a R. Pontifice facti: scilicet designantur personæ quæ possunt fungi munere Judicis delegati. Istæ personæ sunt clerici, qui in Ecclesia cathedrali obtinent dignitatem, personatum vel canonicatum. Hinc iudices delegati nequeunt esse canonici Ecclesiæ collegialis, uti declaravit Congr. Conc. die 9. Sept. anni 1843. in causa Regensi, quæ tenuit posse designari etiam dignitates Ecclesiæ Collegiæ. Porro istæ personæ a jure ipso designatæ sunt ad hoc munus 1<sup>o</sup>. quia præsumuntur magis idoneæ præ reliquo clero Diocesano; 2<sup>o</sup>. quia executor

literarum apostolicarum gratis munus sibi commissum exercere debet: merito ergo providit jus ut hujusmodi officium gratuitum committeretur clericis, qui ex præbenda propria jam habent unde sufficienter sustententur. Dispositio c. 11. cit. immutationem aliquam passa est ex decreto Trid. cap. 10. sess. 25. de ref. ubi statutum est, inter illas personas designatas a Bonifacio VIII. solum aliquas posse ad officium Delegati pontificii assumi, easque esse illas quæ judices deputantur in Conc. Provinciali vel Diocesano. Tamen sive dispositio cit. cap. 11. sive dispositio Tridentina non prohibent quominus R. Pontifex ex certa scientia possit alium clericum ad iudicium ferendum delegare, qui careat qualitatibus designatis in iisdem locis juris. Dixi 'ex certa scientia', quia si ex ignorantia i. e. ex falsa insinuatione delegatio facta fuerit, processus et acta judicialia quæ ab hujusmodi iudice conficiantur, nullius valoris sunt. Quare si designetur aliqua persona ad officium iudicis delegati carens prædictis qualitatibus, in rescripto delegationis debet exprimi derogatio dispositioni Bonifacii et Conc. Tridentini. Cfr. Glossam in cit. cap. 11. verbo 'omittantur'.

29. Rescripta gratiæ committi possunt exequenda Episcopo, vel ejus Vicario Gen., et si commissio facta fuerit *Ordinario loci*, executio fieri potest tum ab Episcopo tum ab ejus Vicario Gen. Si autem facta fuerit *Episcopo*, non potest Vicarius virtute mandati generalis negotium executionis proficere, nec viceversa Episcopus poterit exequi Literas Apostolicas Vicario commissas. Ratio est quia censetur electam fuisse industriam personæ.

30. Nunc 2º. de modo executionis rescriptorum. Si sermo sit de rescriptis justitiæ, vel in his designatus est modus procedendi, vel non. Si non est designatus, iudex delegatus sequi debet ordinem juris communis; si est designatus, iudex debet præ oculis habere et sequi formam in rescripto designatam.

31. In rescriptis gratiæ distinguenda est executio *necessaria* ab executione *voluntaria*, quæ dicitur etiam executio in forma commissoria: hinc habes executorem sive necessarium sive voluntarium. Necessarius executor, et necessaria executio locum habent in rescriptis quæ continent gratiam factam seu plenam, quo in casu executor assumit cognitionem summariam rerum expositarum in precibus, et deinde edit decretum in quo innuit preces veritate niti, et demum dispositionem sum. Pontificis applicat. Quare cognita veritate precum, executor

necessarius non potest gratiam petitam denegare. Executor voluntarius locum habet in hypothesi gratiæ non factæ, sed faciendæ ab ipso executore rescripti. Formula commissionis hujus regulariter est 'cognita veritate precum si expedire tibi visum fuerit' vel similia. Hoc in casu executor non solum debet cognoscere de precum veritate, sed etiam de valore causæ pro gratia concedenda; executor enim in hoc casu est qui proprie, auctoritate quidem sibi commissa, gratiam facit. Gratia ergo est effectus rationabilis iudicii ipsius executoris.

32. **De Cessatione rescriptorum.** — Rescripta justitiæ quibus iudices delegati ad causam videndam designantur, cessant morte tum naturali tum civili concedentis, si adhuc res sit integra. Ex. c. 30. De Off. Jud. Deleg. Concordant capp. 19. et 20. eod. Quod ita valet ut processus a Iudice delegato confectus etiam si mortem concedentis ignoraverit, irritus sit, ac nullius valoris. Nam ante usum concessionis factæ a Principe non censetur transisse iudicium in iudicem Delegatum. C. 6. de Off. et Pot. Jud. Deleg. in 6º. Doctores vero excipiunt casum erroris communis ex celebri lege. 'Barbarius' ff. de Off. Prætoris.

33. Si quærat quandonam res amplius integra non sit: juxta c. 19. de Off. et Pot. Jud. Del. per litem contestationem cessat esse integra. Hæc dispositio est Lucii III., qui refert morem et sententiam temporis sui. Ex capite vero 20. eod. res desinit integra esse per citationem iudicis delegati. Hoc caput est Urbani III. qui novum induxit jus, quod modo servatur. Invaluit enim principium, jurisdictionem nempe in iudice perpetuari per legitimam citationem, ceu tenuit Gregorius IX. in cap. ult. de Off. Legati et in cap. 19. de Foro compet. et Glossa in cap. 19. h. t. citatio enim seu vocatio in jus est fundamentum iudicii et principium actionum instituendarum §. ul. in princ. Instit. de pœn. temer. litig. Quare iudex qui per citationem negotium præoccupavit, totam causam et jurisdictionem prævenisse videtur. Nec requiritur litem contestatio, quæ proprie est 'petitio in iure proposita, et congrua responsio secuta animo litigandi' c. 1. de litem contest. Imo nec necesse est ut citatio ad partem perveniat, nam si per eam steterit quominus citationem reciperet, ex Clement. 2. Ut lite pend. res non amplius integra est. In hoc capite Glossa adnotat ad perpetuandam jurisdictionem in iudice sufficere ipsum emanasse citationem secundum canones, id est subscripsisse mandatum citationis. Quia

est actus juridicus quo iudex occupavit negotium et exercuit jurisdictionem delegatam.

34. Quæritur quomodo c. 19. et 20. de Off. et pot. Jud. Deleg. concilientur. Variæ dantur sententiæ. Admittere non possumus opinionem eorum qui dicunt decisionem Lucii III. in cap. 19. h. t. supplendam esse per vocabulum 'maxime', ita ut censeatur jurisdictione perpetuata 'maxime' cum lis fuerit contestata; vel eorum qui tenent decisionem Urbani servandam esse cum Iudex ignorat mortem Pontificis; vel tandem eorum qui dispositionem Urbani accipiunt de citatione per *edictum* quæ æquivalet contestationi litis. Potius dicendum est Urbanum in varia doctorum opinione adoptasse sententiam contrariam illi quam Lucius III. secutus fuerat. At objicitur utrumque caput fuisse corpore juris relatam, quod factum non fuisset si Lucii III. constitutio fuisset abrogata a constitutione Urbani. Verum 1<sup>o</sup>. etiam in tit. de Censib. in 6<sup>o</sup>. dantur binæ constitutiones 2<sup>a</sup>. et 3<sup>a</sup>. quarum postrema corrigit priorem circa procuraciones in pecunia recipiendas. Ergo a pari in casu nostro utraque constitutio, Lucii nempe et Urbani, potuit referri, ut in materia illa dignosceretur natura quæstionis quæ agitabatur inter Doctores. 2<sup>o</sup>. Animadverti potest caput 20. non abrogasse omnino caput 19., nam saltem quoad principium de cessatione jurisdictionis in iudice delegato re integra utrumque conveniunt. Hinc cap. 19. in corpore juris insertum forsitan est, ut valeret pro ea parte in qua probat hoc principium.

35. Si sermo sit de rescriptis gratiæ; distinguendum est utrum gratia sit facta vel nondum facta. Gratia faciendâ tunc obtinet cum summus Pontifex alicui concedit facultatem gratiam faciendi. Gratia autem tunc est facta cum summus Pontifex cognita veritate precum ipse dispensat in impedimentis vel confert Beneficium determinatum si est vacans, vel absolute mandat ut concedatur ab Ordinario cum ipsum vacaverit, vel denique privilegium aliquod vel aliquam facultatem elargitur. Jamvero si facta est gratia hæc perpetuo perseverat. Cap. 9. De Off. Deleg. in 6<sup>o</sup>. Nec officit quod gratia committatur ad exequendum iudicibus, nam in casu iudex est simplex et merus executor, nec revera jurisdictionem ipse exercet. Si vero gratia est faciendâ, vis rescripti cessat morte concedentis re adhuc integra, ut ex cap. 36. de Præc. in 6<sup>o</sup>. Ratio disparitatis est in eo quod gratia facta jus tribuat per se, gratia autem faciendâ non exhibet jus quæsitum, sed possibili-

tatem illud acquirendi per exercitium jurisdictionis delegatæ, quæ jurisdictione prorsus cessat morte delegantis, nisi delegatus fecerit suam, occupando negotium. Per regulam vero 12<sup>am</sup>. Cancellariæ revalidantur omnia rescripta gratiæ et justitiæ concessa a Pontifice defuncto infra annum ante ejus mortem, quæ rescripta per mortem Pontificis re adhuc integra nullius roboris evaserant.

36. Relate ad rescripta gratiæ animadvertimus quandoque concedi gratias quæ repetitos actus complectunt: ex. gr. ut quis a choro abstineat, ut quis tali vel tali privilegio gaudeat. Hæc vero gratiæ si concedantur cum clausula 'ad beneplacitum nostrum' cessant morte concedentis, cum quo ejus beneplacitum desinit. c. 5. h. t. in 6<sup>o</sup>. Si vero concedantur cum clausula 'ad beneplacitum S. Sedis' perseverant donec vel concedens, vel ejus successor non revocaverit. Ita in eod. c. 5. h. t. in 6<sup>o</sup>. Cui casui accommodant auctores etiam in quo Pontifex utatur clausula 'donec revocavero'. Nam revocatio est proprie actus positivus qui per mortem non verificatur.

37. Tandem ut hæc tractatio compleatur, animadvertendum est, rescripta cessare posse per renunciationem vel per revocationem. Per renunciationem cessant rescripta gratiæ, quando obtento privilegio quis renuntiat, dummodo ex obtenta concessione nulli tertiæ personæ jus quæsitum sit: Rescripta vero justitiæ per impetrantis renunciationem cessant ante factam a iudice citationem. Nam post factam citationem Iudex habet veram jurisdictionem quoad utramque partem colligantem. Rescripta autem revocantur vel tacite per actum qui scienter a Pontifice ponatur, vel expresse cum claris verbis nullius valoris esse decernit concessionem factam. Exemplum habemus in c. ult. h. t. in 6<sup>o</sup>.

#### TITULUS IV.

#### De Consuetudine.

1. Præter jus quod directe a Principe procedit, est jus quod moribus populi introducitur ac *non scriptum* dicitur, quia immediate ac directe a Principis imperio non oritur. Post principia et fontes juris scripti, de fonte juris non scripti titulus exhibetur.

Consuetudo si in facto consideretur nihil aliud est nisi actuum frequentia c. 1. de Const. in 6<sup>o</sup>. Consuetudo in significatione juris significat ipsum jus quod ex frequentia actuum populi derivat.